GABRIELIS NAVDAEI

PARISINI.

QVAESTIO IATROPHILOLOGICA.

An magnum Homini, a Venenis periculum?



ROMÆ,

Ex Typographia Gulielmi Facciotti,

MDCXXXII.

Superiorum Permissu.

Clarissimo Doctissimoq.

MEDICO, ET PHILOSOPHO

VINCENTIO ALSARIO

CRVCIO S. D. N.

VRBANI VIII.

CVBICVLARIO.

In Romana Sapientia Practicæ Medicinæ Professori, ac olim Gregorij XV. Medico & Cubiculario Secreto

GABRIEL NAVDAEVS S.P.D.



VM asʃiduis me & quotidianis fermè ʃermonibus admoneres, Alʃari eruditiʃsime, vt in hanc Vrbem appulʃus, quam nemo vnquam, comparatione facta cæteris meliorem ac literarum ſtudijs aptiorem non inuenit, & hunc in ea Mæcenatem nactus, qui liberalitate & munifi-

centia paucis, comitate verò ac beneuolentia nemini concedat. Cùm inquam vrgeres non mediocriter, vt tot præsidijs munitus, ex vmbraculis tandem & otio familiaris & priuatæ meæ exercitationis in Solem & puluerem Academicum prodirem, meique laboris ac industriæ publicum aliquod specimen exhiberem, non potui sanè tantum huic tuo consilio non deferre, quantum ab homine tui amantissimo studiosissimoq; concedi par erat; sed cum apud me semper constitutum habuerim, non per inanis gloriæ cultum, ad veram & solidam gloriam proficisci, nec me etiam tam eleganter, vel a natura efformatum, vel ab arte & industria perpolitum agnouerim, vt per certos corporis motus scitè admodum ac venustè compositos, & tenues aut sublimes accentus, modulatasue vocis inflexiones, non vulgaris eloquentiæ famam, ab delicatissimis circumstantium auribus, possem extorquere; ea dumtaxat Consilij tui parte affectum me & commotum fuisse animaduerti, qua naturæ meæ conuenienter laborem mihi ac exercitationem præcipiebas, reliquam vero, si non abieci, at saltem in aliud tempus, vbi se maior offeret publicè dicendi & perorandi necessitas, reijciendam esse duxi.

Atque

Atque interim tractatus nõnullos cùm in politicis, & oratoria facultate, tum etiam in Medicina & philosophandi ratione, haud omnino infeliciter

Si me non fallit Imago

elucubraui, quorum en tibi velut in promulsidem, quæstionem hanc de venenis, ex prima reliquarum Pentade Selectam offero, leue quidem χαριστήριον *tuæ in me eximiæ voluntatis, & beneuolentiæ, sed quod demum grauiora consequentur, postquam istud nec ingratum tibi, nec iniucundum aduenisse intellexero. Vale.*

Dabam Romæ sub finem Martij,
Anno M.DC.XXXII.

Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiss. Patri Mag. Sac. Pal. Apost.

A. Episc. Vmbr. Vicesg.

QVæstionem Iatrophilologicam D. Gabrielis Naudæi Parisini, *An magnum Homini à Venenis periculum*, ex ordine Reuerendiss. P. F. Nicolai Riccardij Magist. Sac. Palatij legi, in qua nihil deprehendi, quod vel fidem, vel mores offendat. Ideoq; veluti eruditissimam dignam prælo iudico, & in fidem, &c. Datum Romæ die 23. Martij 1632.

Leo Allacius Philosophiæ, ac S. Theolog. Doctor.

Imprimatur,
Fr. Antoninus Cellius Magister, & Socius Reuerendiss. P. Magist. Sacri Palatij Apost. Ordinis Prædic.

QVAESTIO IATROPHILOLOGICA

An magnum Homini, à Venenis periculum.



RAVES illæ pridem & ab antiquiſſimis ferme tēporibus inſtitutæ, multorum de natura, non ſecus ac de triſti & iniuſta nouerca, feruntur querelæ; Momi quidem Sannionis Deorum vrbaniſſimi, quod feneſtratum pectus, Hominibus non dederit; Theophraſti, philoſophorum vel Ciceronis calculo eruditiſſimi diſertiſſimique, quod breuem ætatem illis, longiſſimam verò Cornici, Ceruis, Elephanti, haud ſatis conſultò indulſerit. Plinij denique & aliorum, quod animalibus cæteris variè tegumenta conceſſerit teſtas, Coria, Spinas, Villos,

Apud Hæſiodum.

Proemio lib.7.

Setas, Pilos, plumam, Squammas, vellera, at verò

Ouidius in Metam. *Sanctius his animal, mentisque capacius altæ.*

nudum & in nuda humo natali die ad vagitus ſtatim & ploratum abiecerit; Hæc lunatis dentibus, minaci cornu, pernici curſu, vnguibus aduncis, rictu ferino, calce præduro, membriſque omnibus ad terrorem compoſitis armauerit; illud imbelle prorſus & præſidijs omnibus deſtitutum, ad ignominiam potius expoſuerit, quam ad gloriam extulerit; ad ſeruitium citius effinxerit, quàm ad dominium.

Martial. *Dente timetur Aper, defendunt cornua Ceruum,*
Imbelles pueri, quid niſi præda ſumus?

Verum næ tu longe grauiores multorum de eadem natura queſtus, mihi in memoriam reuocas, Alſari doctiſſime, dum quæſtionem hanc de venenorum diuerſitate & periculoſa paſ-

ſim

ſim illorum ſuccreſcente copia, alias à te ſubſtiliter ventilatam agitatamque, tenuitati meæ rurſus diſcutiendă præbes; ipſamque, ad explorandum tacitus In lib. de quæſitis per epiſt.

Quid noſtri valeant humeri, quid
ferre recuſent.

velut implicitum per varios ſinus & ambages, non Gordij, Sed Hippocratis aut Aſclepij vinculum, rectæ rationis acumine diſſoluendum enodandumq. mihi ſubindicas, & proponis.

Enimuero videor mihi videre non paucos ex mulierculararum moribus, & conſuetudine, quæ vanis falſiſque mali ſuſpicionibus ſæpiſſime torquentur, ſic ad vnguem effictos, & graphicè delineatos, vt ſingula quæque dumeta, vepreta, ſenticeta Cane peius, & angue deuitent, in quibus ſcilicet.

Sunt minimæ ſpecies, ſed diræ vulnere Q. Serenus cap. 48.
peſtes
Quæ magis in tenui latitantes corpore
fallunt.

Vt quod olim præcepit Damœtas apud Virgilium

Ecloga 3. *Qui legitis flores, & Humi nascẽtia fraga,*
Frigidus, ò pueri fugite hinc, latet anguis
in herba.

hoc ipſum magna quoque ſibi religione cauendum obſeruandumque, ſub pœna ſalutis, & vitæ quam tantopere diligunt, pertinaciter arbitrentur. Nec perperam, Hercle, ſi querulæ eorum voces ad ignauiæ ſuæ patrociniũ ſufficerent; quid enim inquiunt, Homini, tutum eſſe poteſt inter tot nocitura conſtituto? quid amicum, inter tot aduerſa proſtituto? quid ſalutare, inter tot lethalia degenti? quid non exitiale, tot prodigia morborum intus fouenti, tot monſtra venenorum foris excipienti. Sanitas vna, Morbi infiniti; ingreſſus vnus, exitus multiplex; Mors vbique, ſalus nullibi: Quid ergo ſubnectunt ijdem, non ſat malorum Homini ex fragili ſua cõſtitutione, per tot morbos inerat?

rat? non ſat ex ingenioſa nimis aliorum malitia, per tot carceres, gladios, Cruces, vncos, glires, ſclopos, pelues, & rotas impendebat niſi etiam, antiquiſſima illa Platonis dea ζείδωρος γῆ vt ab Hæſiodo vocatur, vorſuram quotidie faceret, & periculum illi, mortemque per ſuas opes intentaret.

Dapibus crudelis in ipſis, Claudian. de bello Gildonico.
Carnifices epulas, incertaq. pocula præbens,
aut potius vt cum Seneca loquar in Med. act. 4.
euocans omne ſerpentum genus,
Congerens in vnum frugis infauſtæ mala,
Quæcumque generat inuius ſaxis Erix,
Quodcumq. gramen flore mortifero viret,
Diruſue tortis ſuccus in radicibus
Cauſas nocendi gignit

intempeſtiua liberalitate proferens; vt dubitare quis merito poſſet, cum ſurculos euellit, num inimicos efferat; cum effodit metalla, num eruat Toxica; cum feram ſequitur, num mortem aſſequatur: adeo venenorum diuerſa nomina,

diuer-

diuerſa genera, diuerſi etiam ſunt effe-ctus! aliud enim ex radicibus Herbarum contrahitur, aliud ex animalibus mortiferis reſeruatur; ſunt quæ frigore ſanguinem gelent, ſunt quæ calore nimio vitalia exurant; quædam toti Homini inimica formam eius continuo deſtruunt, quædam partibus nonnullis lethalia perniciem eis inferunt; Opium & cicuta caput tentant, Gypſum & fungi ventriculum lædunt, Cantharis veſicam dilacerat, pulmonem lepus marinus exulcerat, venas aperit Hæmorrhous neruos afficit quidam araneus; ſingula vario modo nocent, ſed omnia eodem ſcopo necant; pauca per longiores moras concedunt auxilium, plurima per breuiores inducias vrgent ad exitium; adeo etiam illud verum eſt, quod non ita pridem optimus poeta cecinit.

- per ſingula membra venenum
Infundit natura Homini, caput, &
manus, & pes.

Et

Et latus, & Stomachus grauiter torquentur, & aures.

Quid plura? ictu, morſu, hauſtu, non tantum nocent, ſed longè grauius eſt, quod in Hominem illis à natura conceſſum; huic, acuto viſu Catoblepa, tenui ſibilo Baſiliſcus, leuiſſimo odoratu Driynus, canis rabie percitus ſolo tactu rabiē peſtemq; ſuam communicāt; hunc in flauam bilem ſoluit vipera, in nigram conuertit paſtinaca, fundit in aquam Cenchiris, diſtēdit in flatum rubeta, hic denique ſitiens perit ex dipſade, furēs ex ſolano ſaltans ex phalangio, dormiens ex opio, ridens ex ſardoa, vt nihil non agendo mors illi ſubrepat, ex iſtis omnibus certa, at ex vna quidem Aſpide longe certior, licet ex Ptiade tardior, ex Cherſea velocior, ex Chelidonia omnium præſentiſſima citiſſimaq. Imò verò, cùm hæc ſingula ſingulos tantum feriant, nec plures ſimul interimát, ſcelus maximum, vt, à Plinio dicitur, Salaman-

mandra, populos improuidos necare potest, & sola nationes integras ad ruinam, & internecionem perducere, tantum vni vitæ insidiarum est ab inualidis! tantum sæuiciæ subest in stirpibus, viget in metallis, regnat in animalibus!

At vero quàm iniurij sint naturæ eiusmodi Censores, quám impij in cõmunem matrem, quàm suæ felicitatis hostes, & beatæ sortis inimici, faciam opinor vt ipsimet intelligant, simulque eorum spiritus pauidos adhuc, & tot insidiarum metu perterritos, ex horrida venenorum silua ad ameniores alexiteriorum delicias & viridaria paulisper auocando, certa spe salutis, vt suauitati vitæ nihil dematur efficiam. Frustra enim naturam culpamus, frustra terram accusamus.

Nostrorum causa malorum
Nos sumus, & sua quemque magis dementia vexat.

Natura quidem venena produxit,

ter-

terra fouit, & recepit, ſed quis inuenit illa præter hominem? Damaſci publicas eorum officinas fuiſſe narrat Ioſephus, Neronem hæc in ſuo conſpectu præparari ſuſtinuiſſe refert Suetonius, Attalumq; venenoſas & lethales plantas aconitum, ſicutam, elleborum ſingulari ſtudio plantaſſe rigaſſe coluiſſe, narrant hiſtorici. Atque cum in arbores exacuant limentque cornua Elephanti, ſaxo Rinocerotes, & vtroque Apri dentium ſicas; ſciantq; ad nocendum ſe præparare animalia, quod tamen eorum tela ſua, excepto homine, venenis tingit? Nos & ſagittas vngimus, & ferro ipſi nocentius aliquid damus, nos, & flumina inficimus, & rerũ naturæ elementa, ipſum quoque quo viuitur aerem in perniciem vertimus: terra quidem nobis malorum remedium genuit, nos illud vitæ fecimus venenum, ferro enim quo carere non poſſumus ſimili modo vtimur; vt rectè

Plinius lib. 18. cap. 1.

meo quidē iudicio monuerit grauissimus morum censor Seneca, *quod si beneficia naturæ vtentium prauitate perpendimus, nihil non nostro malo accepimus:* Ecquis igitur naturæ istam culpam esse fateatur, & non hominum potius, secus quam oportet rebus ipsis vtentium? Hæc quidem pio affectu multa subministrat innocentiæ, non flagitio; saluti, non exitio; morbis auferendis, non inferendis profutura; Nos verò prauo conatu eius vota deludimus & sapienter excogitata, malè administrando stultè peruertimus.

Verùm optimè sentio quid isti obganniant seueriores Aristarchi, de veneficijs quidem & pharmacis hæc vtcunque vera, longè tamen aliter se habere in venenatis & phtarticis totoq; genere deleterijs substantijs, quæ nos sæpe sæpius imprudentes fallunt, insontes lædunt, fugientes sistunt, stantes opprimunt, inermes necant, armatos

etiam

etiam plerumq; perimunt. Gerris tamen ſiculis vaniora ſunt, auſim ego dicere, hęc argumenta quæq; in partẽ eiuſdem criminis, ſalutaria quæuis trahant, hominumq; vitæ & commodis ſummoperè neceſſaria; quorum ſcilicet natura, non ſemper omnibus placuit, nec vires aut effectus perpetuò nobis arriſere: Aquæ ſubeunt in imbres, rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus, præcipitantur in torrentes, an idcirco venenatæ? Aer denſatur imbribus, furit procellis, micat & ſæuit ignibus, an propterea de eo conquerendum? Terra ipſa plerumq; dehiſcit in foueas, ſurgit in montes, ſubſidet in valles, euomit flammas, abſorbet prouincias, an idcirco culpanda? ſi hos audis grauiter ſanè, ſi mihi credis omninò pueriliter: Ludibrium igitur debent Philoſophis certè quam maximum inſulſa fatuæ illius & Abderitanæ plebis, de tam ampla malorum ſegete, tam

longa θανατηφόρων φαρμάκων Iliade commenta. Quædam certè venena non rarò ſuccreſcunt, frequentius etiam vſurpãtur, at, quę ſint omnino deleteria, ſi verum fateri volumus, vix vlla repe- riuntur; eaque, aut in ſyluis latent, aut in æquore medio degunt, aut in auijs & deſertis locis naſcuntur, aut denique in longè diſſitis & remotis continen- tur; Aſpidi, ſi Lucano credimus.

Lib. 9.

Plenior eſt ſanguis & craſsi gutta veneni
Decidit, in nulla plus eſt ſerpente coactum.

At verò, quid ab ea nobis imminet periculi? quid ab eius virulẽtia metuendum?

Ipſa caloris egens, gelidum non tranſit in orbem
Sponte ſua, Niloq; tenus metitur arenas.

Hæc verò (quæ multum licet mitiora ſint, nihilominus tamẽ φθαρτικά φθοροποία κακουργά θανατηφόρα vocantur) haud eſſe tantopere periculoſa, parum aberit opinor, quin vt mihi, ſic illis cenſoribus me-

ticulosis persuadeam, quid ita? quoniam talia formaliter non sunt, qualia creduntur, neque talem habent naturam, qualem nos illis ad cruciatum nostrum subtiliter affingimus; alioquin nec istis capræ pinguescerent, nec hirundines cantharidibus, nec gallinæ vermibus, nec sues mandragorà, nec sturni cicutà, nec elleboro coturnices, aut passeres hioscyamo, vultis plura?

Serpente Ciconia pullos
Nutrit, & inuentà per deuia rura lacerta.

Vultis præterea ceruorum cupedias & suauissimi gustus lagana? viperæ sunt, vt & venatoribus omnibus notum, & à Lucretio Philosophicis versibus consignatum.

Naribus alipedes (inquit ipse) *sic cerui*
sæpe putantur,
Ducere de latebris latentia sæcla ferarum.

Vnius ergo homuncionis respectu tot opes naturæ damnosas iudicamus, tot insontes diuitias, velut Gorgonis

Apud Nicandr. in Alexiph.

guttas, ſanguine ſtillantes, aut Typhœi cruorem quotidiè deuouemus; ſed quo iure, quibuſue rationum momentis, nondum apud me conſtare, libenter aſſero. Siquidem, nec purè & ſolitariè ſumpta nocuerunt, aut Athenienſi vetulæ cicuta, aut Eudemo elleborus, aut Colonienſi puellæ araneæ, aut Africanæ mulieri napellus, aut Mithridati toxica; nec etiam ſedulò præparata, non maximè profuerunt, aut Cantharides Galeno, ad diuretica; aut viperæ Andromacho, ad theriacam; aut auripigmentum Traliano, ad diſenteriam; aut ſulphur & hioſcyamus Aetio, ad febrem diuturnam; aut aconitum Auicennæ, ad lepram aut ſumma quæque alia venena doctioribus medicis Carpo, Deſennio, Varignanæ, Matthiolo, Cardano, ad obſtinatiores quoſque affectus ſanandos, & euentu ſecuro promptè fæliciterq; profligandos: imprudentiæ igitur aut malitiæ noſtræ potius quam ve-

nenis

nenis alexiteria quæruntur, & quæ nos ipſi peccamus blanda prorſus adulatione ad ſtirpes & animalia referuntur. Sed, eſto fatalis venenorum iſta clades, morbus eſto, non enditnius modo ſed pandimius vniuerſæ hominum ſpeciei, & vbiq; gentium, ac paſſim locorum diſſeminatus; quis tamen ipſum iure metuat? aut potius quis hoc grande nefas, ac periculoſæ plenum opus qualitatis & materiæ, audacter non contemnat? ſuppetias ipſamet ferente natura, & oblatà nobis tot præſtantium remediorũ officinà continuò dictante, vt quemadmodum aduerſus morbos ex praua victus ratione antidotis, aduerſus faſcinationes, amuletis; ſic contra venenũ intus quidem aſſumptum alexipharmacis; exterius verò illatum, vel admotum, alexiterijs non ſegniter pugnemus: Atque vt in ipſorum natura & cognitione paulò diligentius inueſtiganda nonnihil immoremur; docet Galenus

3. de temperamentis cap. 4. venenum propriè deſcribi , quod naturæ noſtræ ex totius ſubſtantiæ ſuæ ratione contrarium eſt,ſiue occultas tantum qualitates præſeferat , ſiue manifeſtas etiam illis in perniciem adiungat ; vnde ex eodem 5. ſimplicium , medicamentis tota ſpecie alexiterijs , naturam , inter corpora affecta & deleteria , mediam ineſſe oportet ; hoc eſt vt humano corpori tam aduerſa ſint, quam veneno repugnent : ſi namque ad veneni naturam magis accedant ; minus afferent vtilitatis quam nocumenti , ſi vero ad corporis ſimilitudinem , naturamque propius inclinent , veneno minus reſiſtere valebunt . Vtrum verò dentur generalia quędam eiuſmodi alexipharmaca , quæ venenis omnibus ex æquo repugnent, illud eſt quod optimè negat Galenus,quoniam ſi medià ſunt naturà inter humanam,& venenum, venena autem δὶς διὰ πασῶν inter ſe ſint diſcrepan-

tia, certè non poterit esse aduersus hæc generale quodam alexipharmacum. Poterunt tamen vt fatetur Cardanus nonnulla horum loco esse medicamenta, quæ tum vires roborando, tum rei cuiuscumq; noxiæ vomitum, aut euacuationē per sudores proliciendo, haud multū huic præstantissimę alexiteriorū facultati viribus concedent. Quę autem illa sint, & quibus ad id præstantis naturę dotibus insignita, pergit idem curiosè admodū ex grauissimis authoribus recensere. Hanc vero nomenclaturam, si per nationes pręcipuas instituere satius habuisset, iactarent apud eum procul dubio Gręci terram suam sigillatam; Hispani Scorzoneram; Germani tabaci succum & folia, Indi Bezaar caprinum; Arabes ceruinum; Siculi sordes & lacrymas eiusdem animalis virosi; Itali oleum suum ex scorpionibus; Turcę denique & Iudęi balsamum: Si per personas, Rustici & te- Lib. 3. de Venen.

nuioris fortunę homines rutam ſuam proferrent; diuites Theriacam & Mithridatium; Reges denique vaſa ſua ex electro, argento puro, aut incerto Monocerotis cornu cęlata: Ego vero dapes inemptas, tenue ſalinum, vaſa fictilia omnibus iſtis pręferrem, vt pote cùm longà experientia, & diuturno vſu confirmatum eſſe, dudum monuerit optimus hac in re medicus Iuuenalis.

quod nulla aconita bibuntur
Satyra 10. *Fictilibus, tūc illa time, cùm pocula ſumes*
Gemmata, & lato ſetinū ardebit in auro.

Quod autem de generalibus alexiterijs paulo ante negauimus, hęc eadem de proprijs & ſpecialibus nunc omnino concedenda veniunt; cùm vt qualitas qualitati, ſic eodem iure proprietas proprietati poſſit eſſe aduerſa; nec tantum Ariſtotelis Philoſophia poſtulet, vt contrariorum vno in rerum natura exiſtente, alterum pariter ſubſiſtat; ſed etiam prouidentia qua mundus regitur, vt

quod-

quodlibet in natura contrarium ſuum obtineat ſimpliciter efflagitet. Quamobrem factum eſt non minus ſapienter quam prouidè, vt hęc eadem natura, nuſquam magis luxuriet, nullaque in re pariter, atque his alexiteriorum opibus ambitioſa ſit, in quibus tam prolixè numen ſuum explicat, vt προνοία illa non tam Epicurea quod quidam ait, quam medica fuiſſe videatur; nam quecunq; tota rerum facie expoſita, quęcunq; cauernis terrę ac viſceribus latent, quidquid eſt aquarum, ſtripium, animalium, terra, ignis, maria alexiterijs inſeruiunt; in fęce rerum, in excrementis, in carie, in rebus minimis & obſoletis ac propè nullis, venenorum remedia condita ſunt; atque in rę vna, multiplex natura, vario genere remediorũ fęta eſt, admirabilior multò minus in damno, quam in remedio: hinc non ſatis habuit deleteria fermè omnia certis notis deſignare, fungos, exempli gratia, diluto

quo-

quodam nonnullorum rubore,rancido aſpectu,liuido colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro, mille coloribus ceruleo,atro,viridi,fuſco ex effractis vt ſtatim naſcentibus ſic euaneſcentibus; niſi & alexipharmaca pleraque commonſtraſſet omniumq; oculis, forma,maculis, colore veluti ſubieciſſet, vt in ſcorpioide, Aro, & Echino; quorum poſtremũ ſemen viperini capitis ſignaturà notatum refert, aliud ſerpentum maculis variegatum conſpicitur, primum verò radicem gerit ſcorpioni haud abſimilem,vt cum ſcorpio ſerpentibus viperaque, particulares horum inimicitias facilè deprehendas: Et quod demum præſtantiſſimum eſt, niſi ipſis venenis, non tantum peculiaria alexipharmaca, vt lepori marino triglam, napello anthoram, cicutę myrridem, dorycnio echinos,aconito ayzoum; ſed etiam hęc ipſa ſibimet ipſis ſingulari beneficio oppoſuiſſet; quis enim igno-

rat

rat muris aranei morſum, ab eodem contuſo & impoſito citiſſimè ſanari? draconem marinum ictui proprio cõmodè mederi? paſtinacam contra virus ſuum ſalutari remedio prodeſſe? Scorpiones & phalangium oleo proprio, damna quæ fecerint reſarcire? corpus viperæ, alas cantharidis, adipem crocodili, maxillam canis, animalium eiuſmodi noxis vtiliter reſiſtere.

Et cum vulnus atrox incuſsit Scorpius ardens,
Continuò capitur, tunc digna cæde retuſus, Seren. cap. 43.
Vulneribusque aptus, fertur reuocare venenum.

Quinimo illud fermè admirationem omnem ſuperat, quòd vbicunque terrarum noxa aliquà familiaris exiſtit, ibidem etiam profuſa naturæ liberalitate, vel ſuccreſcere vel inueniri ſoleat illius remedium, quaſi paria in vniuerſo, velut Romani gladiatores in foro, natura componat.

vtque nocendo ,
Ingenioſa fuit , fuit ingenioſa medendo .

Sic in Ægypto Ibides ſerpentibus oppoſuit , ijſdemq; in Apulis & Lucanis ciconias, in Hiſpania Scorzoneram , in Inſula Diui Nicolai feles ; tandemq; morbo illi fœdiſſimo Noui Orbis accolis familiari,& endemio,arborem mirabilem,ſacramue Ligni Sancti aut potius Guaiaci.

H. Fracaſtor. in ſyphill. lib.3.

Quam gens illa colit , ſtudioque educere multo
Nititur,hac latè colles,campique patentes,
Hac omnis veſtitur ager ; nec Sanctius illis
Eſt quicquam , aut potiore vſu , quippe omnis in illa
Spes iacet, hanc contra peſtem, quæ cælitus illic
Perpetua eſt .

His autem validiſſimis rationum & experientiarum momentis, niſi querula hæc Momiq; & Ariſtrarchi genuina

na ſoboles, ſibi ex integro ſatisſactum fuiſſe arbitretur; pergat iugi luctu & continuo timore diſcruciari, non repugno, naturæ nunquam deſinat eſſe moleſta, annuo; imo Iouem ipſum vt Hippolitus Sophoclis, aut ſeruus Plauti arguat, quod lepidè ingenuati moriantur, & homines ex mulieribus naſcantur, per me licet; deſipiant, ringantur, contabeſcant, manum amplius non vorterim.

F I N I S.



GABRIELIS NAVDAEI

PARISINI

QVESTIO SECVNDA

IATROPHILOLOGICA.

An Vita Hominum hodiè quàm olim breuior?



CÆSENÆ

Ex Typographia Iosephi Nerij.

MDCXXXIIII.

Superiorum Permiſsu

GABRIELIS
NAVDAEI
PARISINI,
QVESTIO SECVNDA
IATROPHILOLOGICA.
An Vita Hominum
hodie quàm olim breuior?




CÆSENÆ
Ex Typographia Iosephi Nerij.
M.DC.XXXVI.
Superiorum Permissu.

Illustrissimo Reuerendissimoq;
Domino D.

IOSEPHO MARIAE SVARESIO

Vasionensi Episcopo Vigilantissimo,
GABRIEL NAVDEVS S.P.D.



Vod vertentis anni principio singulis in more & vrbanioris vitæ consuetudine positum est, vt vel affectum in amicos, vel obsequium in Dominos, munusculis quibusdã significent; Hoc ipsum tua præsertim de causa, Antistes dignissime, reuertentibus iam noui & auspicalis Anni Kalendis, mihi faciendum esse intelligo; qui suauissimæ tuæ consuetudini plurimùm quidem antea deditus, nunc etiã amplissimæ tuæ Dignitati me totum submitto: simulq; vehementer gaudeo splẽdorem animi ingenijq; tui præclarissimum, adeo illustri & edito


in loco constitutum esse, vt honos Virtuti tuæ redditus, summam in animis hominũ rectè sentientium Voluptatem concitet, & Eminentissimo Cardinali Barberino magnã omninò iudicij laudem videatur allaturus. Cum te vnum vtriusq; dictionis laude florentem, literisq; humanioribus non vulgariter instructũ, & in versãdis cùm priscorũ Patrũ, tũ eorum præsertim scriptorum monumentis qui veteris Ecclesiæ ritus & mores explicant, nemini secundum, tot lectissimis Præsulibus socium esse curauerit quorum postea vitam singularis tuæ probitatis exemplo illustrare, auctoritateq; doctrina & eruditione tueri atque sustinere posses: maximè cùm solus fermè videaris aptus hac tempestate, licet ipsa doctissimorum virorum mirè fœcunda sit, qui iure merito censeri debeas.

Potens quantis prægnanti lumine mentis
Prisca vetustorum detenebrare patrum.

Quamobrem postquàm eò iam dignitatis prouectus es, vt non modo Soteria, vel Apophoreta, sed Xenia quoque à nobis tenuibus, & ex capite censis, iure tuo possis repetere, atq; etiam Sic in litteras Sis affectus, vt ab ipsarũ studiosis nullũ nisi lite-

litterarium munus videaris ambire, Sanè Quæstionem hanc, quæ me nuper Ceruiam cum optimo meo Mæcenate reuersum, & istius loci solitudine atq; tædio penè confectum, non iniucundè exercuit, velut omnium aptissimam selegi, quæ vt tuis votis, sic meo quoq; possem officio satisfacere; quod equidem futurum non dubito si meam quam profecto in hac vides elucere voluntatem, animiq; singularem ad te amandum & obseruandum propensionem, quæ tua erit in me Humanitas & beneuolētia, benignus vt cuncta mea solitus es, etiā nunc amplectare. Quod vt facias, rogo te etiam atque etiam. Vale.

Dabam Ceruiæ. Kal. ian.
MDCXXXIIII.



Die

Die 18. Ianuarij 1634.

Vidi ego infrascriptus pro Domino Vicario Sanctæ Inquisitionis hanc quæstionem, & dignam quæ prælo mandetur censui.

D. Celsus Rosinus Consultor Sanctæ Inquisitionis, & Abbas Sanctæ Crucis.

Imprimatur.

Vicarius Sancti Officij Cæsenæ.



GAB

GABRIELIS NAVDEI

Doctoris Medici

QVAESTIO IATROPHILOLOGICA

An vita Hominum hodiè, quàm olim breuior?

Vestibuli custos Vultu longæua decoro
Ante fores Natura sedet Claud.



Ta est Presul ornatissime, sedet ipsa πολυμήχανος μήτηρ in tuo conspectu, multum animi pẽdens & incerta, quo tãdem calculi mei colore vel impresso signatoque literæ Charactere incœptam hanc de suo statu &

& virium integritate disceptationem componere aggrediar; Vt igitur quod ingenuè censeo libere nec cunctanter profitear, nostrum omnium, sed cui causa potissimũ Doctissime SVARESI

Stat.lib. 2. *Qui Troica dignus*
Sæcula, & Euboici transcendere
Nestoris annos

moleste, & iniquo animo pateter grauẽ adeo senescentis Naturæ sortem nobis imminere, vt quæ tot olim Gigantes fouisse dicitur Pumiliones iam, & homũciones tantùm proferat, quæ tot etiam μακροβίους extulisse, nunc velut effœta ac diuturno partu defatigata nos omnes ἡμιβίους esse vix sustineat. Et verò licet mortalium plurimi grauem instituant de Naturæ malignitate quærelam, quod in exiguum æui gignimur, *Seneca de breu. vit. C. 1.* quod hæc tam velociter tam rapidè dati nobis tẽporis spatia decurrant, adeò vt exceptis admodùm paucis, cœteros in ipso vitæ apparatu vita destituat. Licet etiam ipsorum nonnulli decliuem

hanc, & ad finem suum celeri gradu properantem, vt rerum omnium, sic Mundi senescentis ætatem, tàm insignis iacturæ ream sistant, criminẽtur, damnent; Viri tamen Sapientes & quicunque alteri quorum caput est extrà cucurbitam, & cor vltra melopepones sapit, hoc in Vulgi more positum esse, ab omni temporum memoria sibi persuaserunt, Vt quemadmodum inquit Tacitus, vitio malignitatis humanæ cœtera semper cum laude respiciat, presẽtia non nisi cùm despectu & fastidio excipiat; Nempè illud idem est quod paullò ante ipsum dixerat grauissimus morum Cẽsor, & stoicæ disciplinæ Vindex acerrimus Seneca lib. 1. de Benef. hoc Maiores nostri quæsti sunt, hoc nos quærimur, hoc posteri nostri quærẽtur, euersos esse mores, regnare nequitiam in deterius res humanas & in omne nefas labi. Illud illud idem est profectò, quod suauissima etiam Poetæ Venusini lyra decantatum fuerat:

Tacit. dialog. de Clar. Orat.

Cap. 1.

Od. 6. lib. 3. *Damnosa quid non imminuit dies?*
Aetas Parentum peior auis tulit
Nos nequiores: mòx daturos
Progeniem Vitiosiorem.

Adeò certè vniuerso hominum generi familiaris fuit hæc querela, vt non immeritò Poeta Satyrographus hanc cum hominibus natam aut ab Euandri saltē & Carmentę ipsiusque Homeri tempòribus vsurpatam fuisse, sapientèr non minus quàm verè inuerit:

Iuen. satir. 15. *Nam genus hic viuo iam decrescebat Homero,*
Terra malos homines nunc educat atq; pusillos.

Vndè vix est vt mihi persuadeam castos illos, & à Dijs recentes homines, tāta vitæ innocentia, & puritate, tā ītegra valetudine tā firmo corporis & animi neru, ætatē Suā degisse, vt indè merito aurea hæc etas naturalis, iusta περιφραστικῶς & κατεξοχὴν appellari, omniumque vt prima sic felicissima & beatissima existimari meruerit. Neque enim de meliore lu-

luto finxit illis præcordia Titan, quàm alijs qui posteà secuti sunt, nec illis quàm nobis clarior vnquam aut vegetior illuxit idem profectò qui ab orbe condito semper fuit Diuinæ Prouidentiæ numerus:

Concordi ligat omnia nexu,
Singula componit, mundum regit, ordinat orbem,
Astra mouens, Elementa ligans, animasque maritans
Corporibus, Terras Cœlis, Cœlestia caducis.

Alanus in Encycloped. lib. 3.

Idem etiam Cœlum omnes homines tegit, eadem terra sustinet, Elemēta eadem componunt, amica iuuant, ligata fouent, soluta destruunt; ijsdem alimentis vescimur, commodis fruimur, moribus vtimur; ijdem nūc sunt qui & olim dies, anni, menses, eadem temporis & vniuersi facies,

Nec aliam videre Patres, aliamuè Nepotes
Aspicient.

Cur igitur nostrùm omnium temperies haud erit similis mors citior, vita non æqualis? An quia sæculum illud aureum fingitur, sit gemmeis tantùm & penitùs aureis hominibus impertiri & communicari debuit? At potius mirari subit non mediocriter supinam Autorum omnium & Historicorum negligētiam, ne dicā amentiā quos non puduit eiusmodi veteres auias, & meras Poetarū Nugas veris narrationibus immiscere, eamquè ætatem pro aurea nobis exhibere, quæ si ad nostram cōferatur, ferrea prorsus, & lapidea videri possit, cum nondum emollitis ciuiliori cultu, neque per artes, & liberales disciplinas probè temperatis hominum moribus, semiferos incolas tantùm abest vt aureos, terra ipsa sustinere videretur, vt porè.

Quibus vda ferarum
Terga dabunt vestes, cruor haustus, pocula trunci,
Antra lares, dumeta toros, cœnacula rupes

Architrenius lib. 5. Cap. 17

Præ-

Præda cibos, raptus venerẽ, spectacula, cædes

Imperium Vires, animos furor, impetus arma,

Mortem pugna sepulcra rubus, mõstrisq; gemebat

Monticolis tellus.

Vt omittã hic quod etiam sacri Codices abundè testantur, Diluuiũ istud quod terram omnẽ absorbuit, diuinitùs propter hominum scelera contigisse quæ tota ac talia prorsus fuère, vt Deùm ipsũ pœnituerit hominis creati. An igitur quia igneum illum vigorem, & coelestis particulam auræ Promethei furto sublatam, fictilibusque corporum suorum ergastulis demersam, primi nostri parẽtes receperunt, ipsà per initia vigente ac multùm splendescente nihil quicquã illis haud secus ac coelestibus sphæris deperire oportuit? forsan quibusdã videbitur; at statim tota litis contestatio deuoluetur ad Horatium, Poetam meo quidem iudicio sapientissimum, apud

quem

quem dubio procul causa sua cadent: & sententiam eiusmodi referent.

Ode. 3. lib. 1.

Post ignem æthereâ Domo
Subductum macies & noua febrium
Terris incubuit cohors
Semotique prius tarda Necessitas
Lethi corripuit gradum.

Sed, an fortasse πολυχρονίους illos fuisse arbitrandum est, quòd simplici & moderato victu vterentur, eo potissimum tempore quo

Ouid. 4. Fast.

Panis erant primis virides mortalibus herbæ,
Duraque magnificas quercus habebat opes?

Aedepol ingeniosum esse mihi persuadeo Poetarum genus ac sollertiæ non vulgaris plenissimum, qui ficticia hæc edulia, nonnisi cõmentitio sæculo vsurpata fuisse docent, fictitia inquã & prorsus ridicula, cùm primus omnium parens Adamus hanc à Deo maledictionẽ accepisse referatur, vt Vesceretur pane, non vero glande aut crudis radici-

bus

bus in sudore vultus sui. Sed concedamus familiarem illis fuisse olerum omnium & leguminum vsum: concedamus & glandes, & nuces, & castaneas, & baccas & quidquid aliud ex terra, satis, arboribus vellitur, legitur euellitur.

Olus suaue, multiplex herbæ genus,
Vuas nitentes, atque fœtus arborum.

An propterea longior vitæ terminus erit etiam illis concedendus? Negat Galenus, qui libro de cibis boni & mali succi cap. 6. in olerum genere nullum esse quod bonum & laudabilem succum gignat, manifestè cõtendit: negat & Celsus, dum imbecillissimam esse materiã omne olus, & quid quid in cauliculo oritur asseruit. Vndè forsan Galenus occasionem desumpsit hunc locum Hippocratis de Leguminibus, & herbis explicandi, in quo diuinus senex velut effatum protulit, quod imbecilles cibi breuem vitam efficiunt, seu vt ipsimet eiusdem verbis vtar, ἀσϑενέστερα σιτία ὀλιγοχρονίην βιοτὴν ἔχει vt propterea non in-

Lib. 11. c. 18.

Lect. 6. lib. epid.

insulsè meo quidem iudicio, vafer coquus apud Plautum, olera omnia longè proscribat & amandet, ipserúque vsui breuitatem vitæ acceptam referat:

Hic quidem homines tam breuem vitam colunt
Cùm hasce herbas huiusmodi in aluum congerunt
Formidolosas dictu non esu modo.

Nam etsi Romanorum Historijs consignatum legamus, Marcum illum Catonem non minus Triumpho quam Censura, & Eruditione prorsus insignem, herbis, quas ipse plantauerat, se coniugéq; & libertos ac familiares ad lōgæuam senectutem incolumes perduxisse; rarum tamen istud exemplum fuit, & quod posteà κηπουρικῶν scriptores supra veritatis fidem extulere, vt nequidem vel illi suppetetias ferente Cardano qui multis animalibus breuis idcircò vitæ metam assignauit, quia non similiter ac cætera fruentibus & herbis vescerentur, confirmatam iam inee ab ōin æta-

ætate tot præclarissimorum Medicorũ sententiam conuellere possit aut debeat, præsertim cum iam experientia compertum sit, illos qui lentibus & capis frequenter vescuntur, cancro & Elephantiasi valdè esse obnoxios; qui fabis & castaneis doloribus colicis & flatulentis discruciari; qui fungis aut cerasis, anginam incurrere; qui Persicis, lippitudinem; qui ficubus, scabiem, phtiriasim & Viscerum tumorem; qui nucibus, amigdalis & pineis, cephalalgiam & vẽtriculi dolorem; qui peponibus & cucurbitis, vomitum; qui beta, Lienteriam; qui porris, cæcitatem; qui deniq; fructibus horarijs atque fugacibus, putridas febres & dysenteriam, nec alia sane de causa, cicutis allium nocentiùs vocatur ab Horatio, aut crambe recocta mortẽ vel communi prouerbio dicitur inferre, nisi propter mala quæ ab ipsorum vsu subindè pullulant, non secus profectò atque sub lactucæ folijs quæ tanquam striges pessimæ neruos virorum emaciant

Sil. Ital. Lib. 3.

Ouid.

ant ac comedunt, Venerem bellulū suū Adonium quondam abscondisse, sapienter quidem & ex antiquioribus Mytologorum fabulis refertur à Callimacho. Sed num forsan satius erit dicere priscos illos homines vt à primo suo ortu minus abfuerunt, eò etiam præstantiores & vegetiores extitisse? Sanè nihil quidquā simile in alijs rebus cernitur: nam & infantes diu steterunt in cunis, & animalcula non statim mouentur, & plantæ sensim augescunt, & metalla paullatim concrescunt, & quidquid aliud obtuleris videbis vt monet Seneca, in omni negocio longè semper à perfecto fuisse principia. Valeat igitur Arganthonius ille senex:

Sil. Ital. Lib. 3. *Ter denos decies emensus belliger annos.*

Valeat Nestor ille Homericus

Vt quem fama refert Hyemes vidisse trecentas.

Valeat Sibylla Cumana,

Ouid. *Quæ iam sibi Sæcula Septem Acta videt.*

Valeant denique & Ioannes ille de Temporibus, cuius ætatem per sexaginta supra trecentos & amplius ad nos, nimis incautè à Francorum Historicis protractam fuisse, contendit Paulus Aemilius, & omnes isti πολυχρονοι Senesque ter aut amplius recocti: nam vt, post Cardanũ loquar & si nolim dicere mentitos eos fuisse qui de ipsis talia scripserunt, Si modo tamen vera sunt, monstra fuisse dicendum est. Sed valeant vnà cum ipsis homines quidam paradoxopæi, creduli, nugigeruli imò etiam & nugiuenduli. Lib.5. Hist. lib.1 de sanitat. tuend. c.8.

Qualibet à quouis mendacia credere prompti.

Qui ad ridiculam hanc ἀθανασίαν & in se nescentiam, firmiter vt illis videtur, stabiliendam, Syndromen colligunt, & mira quædam nobis obgāniunt de facultatum inprimis istis hominibus præstātia & actionum omnium integritate, cũ videlicet crudas carnes, & boues integros comederent vt Milo, numerosos fidi-

filiorum exercitus procrearent vt Priamus; crescerent in iugera vt Tiphœus; ac demum vt beatæ mentes, aut saltem diuinitus edoctæ discurrerent, artes inuenirent, principia statuerent Scientias ipsas, & quidquid eruditionis habemus ordinarent. Frustrà enim illi se torquent, & cum multo labore fabulas cōgerant, nec hilum tamē proficiunt, cū eadem facilitate refellātur à nobis, qua ab illis referuntur. Et si quid olim dubitatum fuit circa Gigantes, non item hac tempestate existimari debeat, quæ vt multa alia bona, & ingeniosè excogitata, sic & profligatos eiusmodi homines doctissimo Riolano debet: debebūt certè & posteri: Tu verò Medicorum decus, & Scholæ Parisiensis iubar perpetuum Ioannes Ferneli, cuius præclarissimum nomen et quocunque Veterū vnquam fama penetrauit, illuc similiter diffusum; ne ab arte mea recedam reliquorum instar qui in singulis facultatibus nuperrimè excelluerunt, in medium

profero, egregijs tuis inuentis & nūquā intermorituris laboribus patefecisti satis, non omnem vt ipsi dicunt exhaustam fuisse in antiquorum ingenijs formandis & expoliendis Naturæ vim & vbertatem, sed & illud insuper longo discursu ostendisti in eleganti prefatione librorum tuorum de abditis, discurrēdo per singulas artes, & rara prorsusque stupenda Typographiæ fulminalium & Pyxidis nauticæ inuenta, quæ nō ita pridem velut è latebris prodierunt, & Mundum illum veterem sibi ipsi dissimilem effecerūt, ingeniosè describēdo, vt minuenda sit hæc opinio tamquam inimica Virtuti, vel potius ex animis hominum euellenda. Nec enim Naturam putandum est communem omniū parentem, nobis potius quàm Veteribus Nouercam, omnes suas opes quondam profudisse, nunc vero sterilem & effœtam existere; sicque priorum Sæculorum fœcunditate exhaustam, vt nihil ampliuspariat & procreet Heroicis

illis ſimile temporibus: cùm potius verum ſit, artes omnes atque diſciplinas quæ annis propè mille ac ducentis ſepultæ iacuerant, aut veriùs, quæ extinctæ occiderant, iam planè reuiuiſcere priſtinum ne dicam maiorem ſplendorem adeptas, & nouas quotidie velut ex inuolucris temporum & Sæculorum latebris excitari, quarum beneficio quod de ſua ætate dicebat vnus ex Antiquis, hoc ipſum potiori iure poſſemus ī præſentiarum vſurpare;

Sumpſerunt artes hac tempeſtate decorē,
Nullaque non melior quam priùs, ipſa fuit.

Quid tandem? erepto hoc corporis & animi functionum aduerſarijs præſidio, ipſi ad longè tutius ſe recipiunt, dùm Hiſtoriæ Sacræ fidem appellāt, & Patriarcharum ætatem, Moſiſquè qui varijs codicibus illam cōſignauit auctoritatē, velut Sacram anchoram prætendunt, noſque diuino iſtius Nomotethio Pentateuctho, non ſecus ac Palladis ſcuto à

quibuſcunq; telis obtrecti, tamquam paſſim credulas velicant & laceſſunt qui molis illius ſenſim ad interitum properantis, & naturalem eorum omniũque quæ in ſe amplectitur contabeſcentiam, ad morboniam & Pannuceas Baucides, velut nugas canoras & myleſias fabulas amandamus. Quaſi verò Vniuerſa rerũ compages & fabrica, cui fatalis imminet periodus à cauſa tantùm violenta, ab igne & communi illo rogo,

Quo Mare, quo Tellus, conuexaque
regia cæli,

Tunc, cùm eius Auctori viſum fuerit expurgari debent, præuias eiuſmodi diſpoſitiones internas, & alterationes neceſſarias, quæ in viuentibus conſpiciũtur, dum illa ſenſim ad tabem marcorẽ, & interitum properant, requirat: aut inter hæc bene conueniat quæ de vitæ noſtræ continuò decreſcentis proportione, cùm ab ipſo Moſe, tùm ab alijs Scriptoribus Hagiographis cõmuniter proferuntur. Siquidem, cùm ante pri-

mam

mam Terrarum eluuiē vita esset ccc e r
aut quingentorum circiter annorum in diebus Mosis dictum est illi, Et erunt di es hominis centum viginti annorum, manifesto sanè & ingenti decremento, tempore verò Iesu Syrach qui Ecclesiasticum scripsit, numerus dierum Vitæ nostræ erant vt plurimum cētum anni; Denique sub Regno Dauidis, septuaginta tantùm nobis relicti sunt, & in potentatibus octoginta. Vnde si eadem decrementi ratio ad nostram vsque ætatem seruata fuisset, Vita nostra deberet tātùm esse quindecim, aut ad summum viginti annorum. Quod quantum præsēti experientiæ, & veritati conueniat, ip se satis vnusquisque videt, & cognoscit. Vt etiam Iure merito Franciscus Petrarcha asseruerit, à duobus & eo amplius annorum millibus circa humanæ vitæ spatium, nullam omnino factā esse mutationem. Verùm absit, vt quemadmodum Cardanus aduersus Sapientissimū Salamonē de Fluuiorū origine, ita ego

Lib. 16. Epist. senil.

aduersus prudentissimum Mosen de Vitæ & annorum ratione certamen instituam. Vera enim sunt omninò & ab ore Dei prolata, quæ de Patriarcharum ætate, diuinus Scriba nobis tradidit; sed talia nihilominus, quæ nullam vim Philosophorum ac Medicorum rationibus inferant, cùm ipsi de consueta Naturæ lege, nō autem de absoluta Dei potestate Quæstiones innectant; qua tamē certum est, communem hunc viuendi terminum à Patriarchis & primis Mundi incolis fuisse transgressum: cùm Deus ipsos in longa Sæcula conseruare vellet, vt gloriam, & cultum nominis sui facilius ad posteros trāsmitterent: quod voluit Rabbi Leui apud Genebrardum, siue quemadmodum arbitratus est Flauius Iosephus, vt multa viderent, experirentur, intelligerent, artesqué ōnes & sciēntias ex certis fundamentis constituerēt. Quamobrem hoc tantum superest, vt ex Aristotelis & Peripateticorū mente, quibus in hoc etiam Medici assentiun- in chrō.

tur, concludam; Eundem semper ī hominibus extitisse ætatis terminum; Et si quam diuersitatem vicissim suscipiat, hanc admodum leuem esse: quamque Petrus Aponensis ex quatuor tantum causis repetendam monet, Nimirum Cœlestium influxu, Elementorum mixtione, Generationis modo, & rerum nō naturalium vsu deprauato. Certè exemplum huius veritatis habemus illustre nec isthinc longè petitum, cùm Aelius Phlegon Trallianus Adriani Cæsaris libertus, in tractatu suo de longæuis Rauenæ, quæ Ciuitas est totius Flaminiæ Metropolis, Iulium Pætum annos centum vixisse, & Lucium Antidium Soterricum terminum hunc tredecim alijs fuisse prætergressum, miraculi instar habendum existimet; quamuis Hieronymus Rubeus doctissimus eiusdem Ciuitatis Philosophus & Medicus qui non ita pridem occubuit, referat se in eā dānelli cuiusdā Aurificis familiaritate vsum fuisse, qui prima iā ætatis suæ Cē-